

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0871

0869

0875

0865

0880

0860

0920

0820

0970

0770

0370

Ende

Anfang

298

praecipitio collisus exspiravit et ita regnum Jerosolymitanum iterum rege caruit. Hoc contigit anno Domini 1197. Deinde in anno sequenti innumeri per mare fideles in Accon venerunt, in redemtionem Jerusalem parati; sed quia non erat rectio nec rex in terra sancta, dilapsus est exercitus et sine profectu ad propria redierunt multis in vanum consumtis pecuniis.

Post hoc anno Domini MCCII. die XXX. Martii terrae motus factus est tantus in Syria, quantus non visus fuerat et civitas Aconensis prostrata est cum palatiis et multis appositis. Sic et in aliis civitatibus contigit.

Dein anno Domini 1215. celebrata fuit synodus maxima Romae apud Lateranum ab Innocentio III. hujus nominis Papa, in quo concilio dicuntur fuisse MCCC episcopi, inter quos fuit dominus Fulco, episcopus Tholosanus, vir insignis, secum habens sanctum Dominicum, cum quo Innocentium Papam adiit et confirmationem Ordinis, qui dicitur Praedicatorum, petitivit; cumque papa primitus difficilem se exhiberet, vidit in somniis, quod Lateranensis ecclesia, quia suis compaginibus resoluta, gravem subito minaretur ruinam, sed vir Dei Dominicus occurrit et totam illam fabricam casuram sustentabat. Sicque mane sancto Dominico accersito propositum commendavit et petitionem suam hilariter acceptavit; anno autem sequenti confirmationem Ordinis obtinuit ab Honorio III.

Porro praeter ecclesiasticos viros episcopos fuerunt in dicto concilio Patriarchae, Jerosolymitanus et Constantinopolitanus, multi Graeci et Romani imperii legati, regum quoque Jerusalem, Franciae, Hispaniae, Angliae et Cypri oratores. Et quamvis in eo concilio editae fuerint multae salubres constitutiones, principalis tamen tractatus fuit de recuperatione terrae sanctae et Jerusalem, et subsidio ad hujus modi opus et de praedicationibus crucis et signationibus et agminum et exercituum capitaneis. Unde a tempore illius concilii beatus Dominicus nutritivit barbam, ut cum militibus ad pugnam procederet contra Sarracenos infideles, sicut iam multo tempore praedicando pugnaverat contra haereticos Albigenses, factusque est post hoc concilium mirabilis populorum occidentalium pro liberatione Jerusalem et terrae sanctae concursus. Eodem etiam tempore pueri parvi de regno Francorum et Theutonicorum

